DE PHLEGMASIA ALBA DOLENTE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUILELMUS LEBRECHTUS DAMES
FRANCOFURTANUS.

OPPONENTIBUS:
A. STUMPFF, med. et chir. Dr.
O. HANNEMANN, med. et chir. Cand.
V. CUNOW, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO

C. ALEX. FERD. KLUGE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS REI MEDICAE INTIMIS, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS, QUOD EJUS AUSPICIIS FLORET, DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, ORDINIS AB AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI AC FAUTORI DILECTISSIMO, HUMANISSIMO,
MAXIME DE SE MERITO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Morbus qui nunc nomine phlegmasiae (1) albae dolentis utitur ab aliis auctoribus aliter appellabatur, ut Phlegmasia lactea, Oedema lacteum, Ecchymoma lymphaticum, Oedema puerperarum, Anasarca serosa, Scelalgia puerperarum, Cruritis, Ischias a Sparganosi, Bucnemia Sparganosis, Nevritis oedemato-phlegmonosa etc. Quamquam permulti de hoc morbo scripserunt, tamen fere omnes inter se dissentiunt, qua in textura, vel quo in organo

---

(1) De utraque scribendi ratione phlegmasia et phlegmatia Struve in Commentatione de ph. ab. dol. disserit pag. 8. adnotatio 2. — Ambo morborum nomina ex verbo φλέγω derivantur. Φλέγμα ab antiquissimis auctoribus pro incendio, inflammatione dictum est. Hippocrates in corpore animali quattuor esse humorum genera statuit, quorum unum φλέγμα, humor nimirum pellucidus, viscidus frigidusque; experientia nixus, humores decoctos crassiores viscidosque reddi. Nominibus Phlegmasiae, Phlegmones, Phlogoseos pro inflammatione uti perrexerunt; at Phlegmatiae nomine significare tumorem frigidum non inflammatum, cujus causam humorum stagnantem viscidum esse voluerunt.

morbi sedes sit, et quam habeat naturam. Causam discrepantiae inter tam multos eosque celeberrimos autores, qui illustrare rem conati sint, eam esse credo, quod permultis medicis in longa amplaque praxi omnino non, vel rarissime tantum hoc malum observare licuerit. Etsi morbus puerperas potissimum corripiat, nihilominus tam est rarus, ut quam plurimis medicis obstetricantibus non sit obviam factus. Sed in hac dissertatione mihi non propositum est, litem ex opinionibus praevalentibus pendentem discernere, sed modo de natura et sede huius exigui atque memorabilis morbi, quem semel tantum videndi, sed non diutius et usque ad exitum observandi mihi occasio fuit, acturus sum.

SYMPTOMATA, DECURSUS ET VARII EXITUS MORBI.

Morbus plerumque mulieres aggreditur, aut gravidas, aut id quod fit saepissime, puerperas, spatio post partum, quod alii propius, alii remotius observarunt. Puerpera plurimum inter decimum et quartum decimum, interdum inter tertium et decimum diem, rarius inter tertiam sextamque hebdomadem febre plus minusve acri corripitur, semper fere cum typo continuae remittentis. Struve (1) unicum tantum casum vidit cum febre intermittente quartana incipientem, quae tamen per tertianae unicum paroxysmum

(1) Struve pag. 12.

in continuam remittentem abibat. Pulsus in primo morbi stadio magna frequentia excellens, duriusculus, postea fit mollis, parvus, contractus. Caput in universum liberum. Respiratio non molesta esse solet, interdum tussis aegrotam vexat, quae initio sicca, post nonnullos dies humida fit et cum mucoso sputo coniuncta esse assolet. Nunquam fere lenis gastricismi gradus abest, lingua plerumque exsistit humida, albo aut luteo muco obtecta, appetitus ciborum desideratur. Fit etiam interdum, ut vomituritiones exsistant, vomitu ipso quidem suppresso. Alvus tarda, adeo obstructa, quae non facile vinci possit, quod Struve pathognomonicum habet. Urina semper ferme turbida est, nec raro copiosum facit sedimentum. Functiones puerperales crebro turbatas invenimus, lactis secretio et lochiorum fluxus praeter naturae ordinem diminuuntur, nunquam vero utraque secretio penitus sublata est, sed interdum lochia copiosiora foetidumque odorem exhalantia obvia sunt. Omnes partes in pelvi iacentes sensibilitate utuntur, os uteri dilatatum apparet, tactu tamen magis dolorosum quam parietes vaginae et musculi interni (1).

Hoc modo unum, vel quod rarius usu venit plures febris insultus facit, antequam malum locale prorumpit, tumor, qui symptoma phlegmasiae albae dolentis peculiare et pathognomonicum ab omnibus habetur.

Locus, in quem prae omnibus morbus ingruere solet,

---

(1) Burns, pag. 580.

in extremitatibus inferioribus deprehenditur, et quidem etiam ambae extremitates afficiuntur, ut ex Westerbergii (1) et Casperi (2) historiis cerni licet; sed brachia quoque morbum suscepisse narrant Casper (3), Graetzer (4), alii. Prodromi, quos nonnulli auctores in antegressa graviditate observasse sibi visi sunt, saepissime desiderantur. Primum oritur vehemens atque pungens dolor e regione plerumque inguinali, tum sinistra, tum dextra, nunquam simul in utraque, interdum ex osse sacro, ex articulo genu (5), aut in extremitatibus superioribus e fovea axillari, totum membrum quam celerrime occupans. Dolor per cruris longitudinem ad pedem usque sese extendens, tam stringens atque acerbus est, ut extremitas lateris affecti ob vehementiam dolorum neque regi neque amplius moveri possit, et ne punctum quidem sine atrocissimo dolore sit, imprimis si digito tetigeris, licet nullusdum conspiciatur tumor. Extremitatibus superioribus axilla plerumque dolorem largitur. Interdum dolor aut nervi cruralis, aut obturatorii directionem sequitur. Neque affecta pars ponderosa et quasi emortua non sentitur. Hosce dolores haud crebro tormina antecesserunt atque alvus stricta, alias intumescentia dolens

---

(1) Hufelands Journal 1817, 2 pag. 4.
(2) Casper. pag. 53.
(3) Casp. Comment. de phil. alb. dol. Hal. 1819.
(4) Diss. de ph. alb. dol. Wratislav. 1830. 4.
(5) Confer historiam morbi primam in Comment. Casperi, pag. 52.

alterius utrius, raro utriusque labii pudendi externi, quod siccum et calidum reperitur.

White (1) negans, utrumque pudendorum labium simul intumescere, contendit, intumescentiam ad labium affecti solum lateris pertinere, tam accurate quidem, ut si linea ab umbilico usque ad anum duceretur, hanc illa nunquam excederet; quae sententia a multis, praecipue ab Hullio refutatur.

Hoc stadium dolorosum (secundum de Siebold), vel inflammatorium (secundum White) sequitur post paucas horas vel duorum triumve dierum spatium raro serius, stadium morbi secundum, stadium ut dicunt exsudationis, aut stadium intumescentiae. Doloribus enim, ut eos descripsimus, exortis intumescit celeriter, aut eadem nocte, aut die sequente, rarissime serius, tota extremitas doloribus affecta inferior una cum labio pudendorum ejusdem lateris, nisi illud jam antea intumuerat, ab inguine usque ad digitos pedis. Interdum tumor a poplite suraque oboritur, atque inde sursum deorsumque tendit. Accedente tumore, dolores, etiamsi sint vehementissimi, paululum mitigantur; sed fortiores sentiuntur in ipsa regione inguinali, in poplite et in sura, quamvis lancinantes per totam saeviunt extremitatem morbo correptam. Quo majorem dolores gradum contingunt, eo minor evadit mobilitas cruris, donec omnino aufertur. Tumor tantum consequitur magnitudinem ut fe-

(1) White, Untersuchung der Geschwulst bei Kindbetterinnen an den unteren Gliedmaassen. Aus dem Englischen. Mit einer Kupfertafel. Wien 1802.

mur affectum interdum duplo, quin triplo crassius altero appareat, et tumoris sensibilitas tanta est, ut omnis vehementior motus etiam aliarum corporis partium lamentationes ploratusque excitet. Tumor ipse ad summum magnitudinis atque perfectionis gradum evectus, haec praebet observatori signa pathognomonica. Partes tumentes calidae sunt, laevitate speculum adaequant et tanquam pinguedine leniter inunctae esse videntur; splendido, albido atque nitido colore utuntur. Tumor multo durior est tumore hydropico, non tam frigidus, neque diminuitur situ horizontali, nec digitus premens foveam efficit, nec albior fit, neque tam lente evanescit, ut in oedematis vel anasarces tumore; ubique est aequus, recedente autem tumore interdum glandulae lymphaticae sese tumidas ostendunt, ita ut funiculus nodosus secundum lymphaticórum vasorum decursum tangi queat (1); initio valde expansus et elasticus, tempore posteriore vero fovea, digito premente, remanet. Rubor externus inflammatorius non adest, multi autem autores sparsim maculas rubras flammeasque, sed rarissime tantum, aut purpureas strias in tumore percurrentes se observasse affirmant (2), quod alii negant. Incisus aut nihil, aut perlucidum non coagulatum humorem lymphaticum effundit. Tumor eadem magnitudine, quam commemoravi, per plures dies perstat, tum una cum doloribus, antea jam paululum mitigatis, ut jam diximus, magis magisque decrescere atque evanescere incipit. Sed

(1) Casper pag. 12.

(2) White et Casper hoc vidisse dicunt.

de tempore, quo dolores et tumor decrescant, potest non certo diiudicari, quod etiam dolores vehementiores et atroces longius perdurant quam ipse tumor, et vice versa vehementia dolorum multo prius mitigatur, quam tumor incipiat decrescere. Quod stadium morbi acme nominare licet. Tumor post spatium temporis, non certo explorandum, eodem ordine, quo impetum fecerat, a femoris articulo ad genu usque, sensim sensimque decrescere solet: quo in stadio aegrota diutius versatur, tarde enim restauratur et in integrum restituitur. Sed saepissime, postquam tumor penitus evanuit, restat plerumque per longum tempus aut nimia debilitas una cum membri affecti sensibilitate, aut maior debilitas, ut pes quasi paralyticus trahatur, aut adeo claudicatio, ita ut e morbo convalescentes difficilius ingrediantur, proh dolor, per multos annos, immo per totam vitam. Etiam vestigium restat chronica illarum partium intumescentia relicta, tumore ad minorem iam ambitum diminuto, qui aut post plures menses remediis aptis adhibitis cedit, aut per annos vel semper perdurat, nunquam funditus evanescit. Interdum, cum ab altero crure recessit tumor, sub nova febris accessione alterum invadit, eodemque ipsi proprio modo incedit. Morbum vero a decursu modo enarrato aberasse, et facile est intellectu et saepenumero observatum.

Verum praeter perfectam resolutionem, ita ut femoris et functio et forma redintegrata sit, rarissime tantum observatam, et praeter minus prosperum eventum, im-

perfectam dico valetudinis restitutionem iam descriptam, quem statum morbi chronicum licet vocare, phlegmasia alba dolens alios habet exitus, suppurationem, gangraenam, mortem. Suppuratio sine dubio rarissimus exitus est, nam multi observatores eandem nunquam viderunt, quare credere nolunt, phlegmasiam in abscessum et suppurationem transire; sed multis morbi historiis adfirmatus ille exitus nec habet ullam dubitationem. Callisen (1) affirmat, trānsire hoc puerperarum oedema in abscessum lymphaticum vel lacteum, et interdum copiosissimis pustulis cutaneis prorumpentibus iudicari. Casper (2), Grimm (3), Graetzer (4) exempla afferunt, qui demonstrant, tumorem in abscessum abiisse et postea merum pus effudisse. Suppuratione autem profusa vires mox ita exhauriri possunt, ut, nisi cita amputatione malum inhibeatur, febris hectica oriatur, quae aegrotae vitam finit; sed suppuratione coërcita, vita servatur. Morbum gangraena terminari multi observasse volunt, ut Burns. Denique tristissimus exitus nostri morbi est ille in mortem, qui negari nullo pacto potest, quamvis multi, velut Struve, White et alii, nunquam merae phlegmasiae, non complicatae, se lethalem vidisse exitum contendant. Contrarium autem animadverterunt complures medici, sed

---

(1) Confer. Casperi Commentationem pag. 43, quo loco haec memorabilis sententia auctoris allegatur.

(2) pag. 60.

(3) pag. 38.

(4) pag. 6.

diiudicare non ausim, num ex passione universali, id est ex febri suppuratoria et hectica, an ex degeneratione mali localis mors arrepere soleat.

DIAGNOSIS.

Quamquam phlegmasia alba dolens, cujus imaginem accurate expressisse mihi videor, morbus sui generis est, qui nec speciem, nec varietatem alius exhibeat, et signis sibi propriis, pathognomonicis dicendis, a ceteris, quibuscum commutata est, facile separari possit, si omnia symptomata totumque morbi decursum bene perpendas: tamen saepissime cum his morbis, quibus phlegmasia complicata incedit, et quibus eadem singulis symptomatibus similis est, permixta et phlegmasia ab multis auctoribus descripta est, quae tantum complicatio vel varietas nostri morbi fuit. Mirabile enim est, morbum a veteribus scriptoribus nunquam fere, vel rarissime visum, nostro hoc tempore, postquam Ill. Casper monographia sua primus ad morbum hunc peculiarem attentos fecit medicos, omnes vidisse se contendere. Ad certiorem igitur morbi diagnosin exhibendam nonnulla verba de illis morbis, quibuscum illa plerumque confusa esse videtur, et qui proxime ei accedunt, facere mihi liceat.

Oedema vel tumor hydropicus aquosum duntaxat tumorem cum nostro morbo communem habet, sed tumor in illo multo mollior et frigidior tangenti sensum massae paniceae similem praebet, digito prementi facile

cedens foveam per longius tempus relinquit, nec ullo afficitur dolore sub digito vel fortius impresso; in inferioribus partibus primum malleolorum regio intumescescere incipit, situ horizontali paulum diminuitur et stando pedibusque pendentibus augetur. Ex incisione magna liquidi copia emittitur. Oedema pedum gravidarum, utrumque pedem plerumque occupans, post partum evanescit; phlegmasia vero plurimis in casibus est puerperarum, plerumpue unum pedem infestans. Hydrops cellulosus puerperarum, coloris nivei causa, phlegmasiae albae dolenti affinis esse dicitur, totum vero propemodum corpus plerumque invadit, ac praeterea oedematis signa prae se fert.

Psoitis a nostro morbo non difficile distinguitur, dolor enim, quamvis ardens acerque in affecto loco, in regione lumbali et psoae fixus est, dum in phlegmasia tota extremitas doloribus vehementissimis vexatur. Psoitis nulla intumescentia excellit, nisi abscessus psoadicus iam factus est, abscessuque formato tumor non splendido nitidoque colore praeditus, sed circumscriptus magisque localis est et fluctuationis sensum perito praebet, etiamsi altius sub femoris fascia tota pus versetur. Nostro in morbo intumescentia membrum paene totum afficit. Psoitide affectus genu incurvat et femur versus abdomen attrahit, quum hoc situ dolores minuantur, quod nunquam in phlegmasia evenit, ubi in omni positione dolores exsistunt aequales.

Varicositatem vasorum absorbentium ani-

madvertendi confundendique occasio mihi nondum fuit, itaque sententiam autorum Grimm et Soemmering sequor, qui morbum vidisse volunt narrantque, morbum aeque rarissimum et nostro similem esse. Grimm vasa resorbentia tantopere dilatata invenit, ut oculis facillime cognoscerentur; tumor ne minimos quidem dolores ciere, et usque ad mortem paucis post diebus sequentem increvisse fertur. Hac re sat discrepat cum phlegmasia alba dolente. Soemmering (1) hoc de morbo: In femina inquit, vivente robusta, ancylosi genu laborante, vasa sorbentia ejusdem cruris adeo varicosa vidi, ut oedematis pedis speciem praeberent, semel tantum hucdum mihi visam; cum impetu lympham prosilientem vidi e vase tali varicoso, vel acu vel lanceola in hac femina aperto.

Cum rheumatismo phlegmasiam similitudinem offerre nonnulli asserunt; sed, ut cuique notum esse debet, affectiones rheumaticae articulis musculisque adhaerent, non fixae sunt, sed vagae remittentesque, et rarissime tumorem efficiunt, qui comparari possit cum illo in phlegmasia exsistente, quippe minor et frigidior est. Alia symptomata rheumatismi diagnosin confirmant.

Sunt, qui phlegmasiam inflammationis venarum sequelam et symptoma tantummodo ejusdem esse arbitrentur. Tum omnia phlebitidis symptomata adsint, necesse est, ut horror, prostratio virium, deliria, vomitus, diarrhoea. Sed plura de hac commutatione in aetiolo-

(1) S. Th. Soemmering, de morbis absorbentium vasorum etc. Trajecti ad Ren. 1795.

gia; autores enim plurimi persuasum habent, phlebitidem phlegmasiae causam esse.

Erysipelas exanthematicum, Pseudo-Erysipelas Rustii, Emphysema, Ischias, Induratio telae cellulosae, Coxalgia, Elephantiasis, Pneumatosis hysterica, nostro cum morbo nunquam, puto, confundi possunt, quam ob rem explicare, quomodo illi morbi a phlegmasia alba dolente toto coelo differant, supersedeo.

AETIOLOGIA.

Antequam ad exponendas phlegmasiae causas me converto, mihi non videtur supervacaneum, distinguere phlegmasiam genuinam meramque, quae puerperas infestat morbusque est sui generis, ut supra dixi, ab ea, quae feminas atque adeo viros corripere fertur, quod discrimen bene observare omnino mihi necessarium videtur. Etiamsi infitias ire omnino non possum, feminas, quae ex tempore jam longiore partum nullum enixae sint, vel virgines etiam, quae nec pepererint, nec menstruaverint, malo hoc affici posse, quod permultis exemplis, a celeberrimis scriptoribus relatis, declaratum est: attamen omnino credere nequeo phlegmasiam viros etiam aggredi. Mirabile enim foret, quod hic morbus ab omnibus praeceptoribus obstetriciae artis et in omnibus libris de hac arte scriptis in ordine eorum morborum collocatus est, quibus feminae, praecipue autem puerperae afficiantur. Sic, ut exemplis utar, ab Joerg et Caro phlegmasiam in morbos relatam invenimus, qui feminas in puerperio

infestent. Omnes fere hujus morbi observationes in puerperiis fecerunt, ita, ut secundum Struve, ne quintum quidem quodque exemplum animadversum sit, in quo aegrae non puerperae fuerint. Praevalentis igitur numeri causa phlegmasia ad morbos puerperis proprios relata esse videatur. Bohm (1) cum multis aliis, omnes homines sine exceptione affligi hoc morbo posse credit; ait enim, postquam multa exempla attulit, quae demonstrarent, phlegmasia viros vel juvenes, e morbo gravi quidem convalescentes, corripi posse: «Quae omnia perpendenti mihi, phlegmasia alba dolens nulli aetati, neutri sexui, nulli constitutioni parcere videtur, exempla enim proponamus libuit morbi nostri in puerperis, sive primiparis, sivi multiparis, in gravidis, in puellis, quae viro nondum admisso graviditatis munera evitaverant, aeque ac in viris, et phlegmasia haud rarius observata est in nobilioribus, quam in inferioribus, haud rarius in individuis constitutionis tenerae, quam robustae, in senibus aeque ac in junioribus.«

Huic sententiae minime adsentior, sed hanc potius fero, praecipue puerperis proprium esse morbum, et viros hoc morbo affligi nunquam. Et illi scriptores, qui genuinam phlegmasiam apud viros vidisse se credunt et scripserunt, si conjecturam mihi proferre licet, in hunc errorem inciderunt, quod phlegmasiam aliis cum morbis supra memoratis, sed toto coelo aberrantibus, commutaverint.

(1) pag. 9.

Hisce collectis plus quam verisimillimum est, imprimis puerperium magnam in illum morbum gignere proclivitatem atque idem frequentissimam causam praedisponentem esse. Quae dispositio hujus mali tum antecedente statu graviditatis tum ipso partu, tum denique insequente puerperio procreatur. Nova enim illa novae vitae evolutio, cum in omni parte, tum vero in systemate nutritionis omnia tam mutat tamque alienat, ut, quaecunque excogitari possunt, leviores aut graviores molestiae in graviditate obviam fiant. Huc accedit, quod partus ipse, violentum illud fructum ejiciendi conamen organismum maximopere exagitet atque ad majorem stimulet reactionem. Hisce mutationibus, quas corpus femineum graviditate, partu et puerperio subit, feminae in inflammationes, ideoque in phlegmasiam albam dolentem proniores redduntur. Constat enim, ipsam graviditatem magnam exercere vim in vasa, non solum lymphatica, sed etiam venosa inferioris partis, unde oriuntur plerumque oedemata pedum gravidarum et tumores varicosi venarum, quae sine dubio ex impedita sanguinis et lymphae per vasa debilitata circulatione originem trahunt, unde ex causis non magis perspicuis, sed similibus, nostra quoque oritur phlegmasia. Cum enim statim post partum fluxus succorum magnus ad uterum desinat et vasa extremitatum inferiorum sanguifera valde debilitata sint, sanguinem vi necessaria in reliquas corporis partes repellere non possunt, ideoque stagnatio eo loco et inflammatio procreatur. Haec eadem causa esse videtur,

quod hic morbus fere semper in extremitates inferiores ingruit. In his exemplis, ubi phlegmasia extra puerperium nobis offertur, causae occasionales, ut subita mensium suppressio, commotiones animi, ira et similia, dispositionem inflammatoriam efficiant necesse est.

Diversissimae et inter se maxime discrepantes causae a scriptoribus referuntur occasionales, ex quibus refrigeratio et, quam efficit, suppressio transpirationis subitanea frequentissime sunt allatae. In puerperis novem, a Struve (1) tractatis, bis ei visa est refrigeratio fuisse primaria et sola causa occasionalis, cum apud plerasque transpirationis cutaneae functionis suppressio cum aliis causis simul in culpa fuisse videatur. Grimm quidem concedit, refrigeratione interdum hunc morbum procreari, tamen ne justo plus ei tribuamus, cavere oportet. Quoties enim et gravidae et puerperae refrigerationi exponuntur et nihilominus a morbo liberae manent? Ille porro inter causas occasionales numerat, si in partu ipso infantis caput solito majus atque crassius in pelvi minore, praesertim si arctior est, diutius moratur, quo vasa pelvis lymphatica et comprimantur et irritentur; si difficiles sunt et forcipe adjuvandi partus, si excerebrationes vel alia fiunt, quibus uterus nimis laeditur et vaginae parietes atteruntur, denique si magni labores, praecipue extremitatum inferiorum in partu aegrotam debilitant. Sed quoties partus difficillimi sunt, et infantes forcipe vel

---

(1) Struve pag. 37.

excerebratione, vel adeo resectione artuum emittuntur et morbo nihilominus non affliguntur puerperae? quoties contra post partus leves et regulares, qui natura sola, nulla artis ope efficiuntur, morbus oritur? Verum interdum ira, moeror et aliae animi commotiones, diaeta et regimen, puerperio minus aptum, similiaque causarum occasionalium vim habere possunt. Omnes autem hae causae occasionales tunc demum phlegmasiam albam dolentem creant, quando illa praedispositio systematis vasorum et glandularum lymphaticarum praevalet.

Ad investigandam phlegmasiae causam proximam, quam inflammationem esse non facile quisquam nostris temporibus dubitet, diversissimae a multis sententiae in medium sunt prolatae. Quo majoris sit momenti, in tanta sententiarum copia et diversitate, in tot summorumque hominum variis dictis certi quid statuere et experientia probare; quae igitur libri docent, hic exponendi sit locus.

Francogallici medici censuerunt, maxime Moriceau, tumorem exoriri ex retentione lochiorum; Puzos theoriam de lactis metastasi posuit, itaque diu phlegmasia lactea, Oedema lacteum nuncupabatur. Stagnatio lactis in mammis, id est, quod lac in mammis secretum non exsugitur, et lochia retenta vel suppressa, occasionales causae fieri possunt.

Si ex retentione lochiorum vel e lactis aberratione hic morbus oriatur, primum semper suppressio vel lochiorum vel secretionis lactis adsit necesse est; sed jam antea in symptomatologia dixi functiones puerperales cre-

bro turbatas inveniri, nunquam vero utramque secretionem sublatam. E contrario multa suppetunt exempla, ubi aegrotae consueta lactis copia gauderent, ubi igitur lactis metastasis poni non posset. Porro morbum non solum in puerperis reperimus, sed etiam in graviditatis tempore priore, post partum praematurum, ubi lactis secretio minime jam adesse potuit. Hoc itaque ex fonte morbus nullo modo fluere potest, et recentiore aetate nemo illi obsoletae sententiae favet.

W h i t i i sententiam, quamquam ea ab Illustrissimo C a s p e r sat penitusque refutata est, referre mihi liceat, ut intelligatur, quam perversa ejus theoria sit. »Si margo, inquit, in superiore pelvis apertura cristam eminentem in osse pubis format, quae acie instrumentum eburneum ad complicandam cartam (Falzbein), aut cultrum adaequat et serrata est; si deinde uterus gravidus in doloribus ad partum lymphatica vasa in istum marginem comprimit, necesse est, illa vasa, quae supra hanc cristam in pelvim decurrunt, discindantur aut dissecentur, et contenta evacuentur. Si apertura absorbentium iterum coëunt, quod inter nychthemerum et sex hebdomades fieri solet, et cicatrix formatur, lympha absorbentium et glandularum retinetur, quo fit, ut inguina, pudenda et cruris superior pars intumescant.« — Si W h i t i i sententia vera esset, si igitur proxima phlegmasiae causa in obstructione et vasorum ruptura lymphaticorum ponenda, nostro morbo feminas in puerperio tantum laborare necesse esset. Contra hanc sententiam pugnat id, quod non inferiores solum,

sed etiam superiores extremitates morbus invadit. — Sellheim et Reuter secundum Himly, illum morbum esse rheumatismum dicunt, loco nonnisi et tempore discrepantem, atque hanc sententiam defendere student, quod refrigeratione potissimum morbus nascatur. Recentiore tempore omnes ferme scriptores consentiunt, phlegmasiam esse statum inflammatorium, sed valde inter se dissident, quae organa sint inflammata. Trye (1) causam proximam in glandulis lymphaticis iliacis sedem habere invenit, affectionem autem primariam aliquando maiorum intra pelvim sitorum vasorum lymphaticorum obstructiones et inflammationem esse posse non negat. John Hull (2) causam proximam in affectione ponit inflammatoria, quae celerem magnae seri lymphaeque coagulabilis copiae effusionem ex vasis exhalantibus in telam membri cellulosam efficiat. David Davis inflammationem unius vel complurium venarum maiorum pelvis et huic proxime sitarum, qua sanguinis cursus prohibeatur, causam morbi proximam ducit. Albers et Burns ab inflammatione nervorum causam morbi proximam repetunt. Dr. Graetzer, illam in inflammatione telae cellulosae locans, sic disputat: »Quum tota extremitas inferior massa cellulosa quasi involvatur atque sic cum

---

(1) Charles Brandon Trye: An Essay on the swelling of the lower extremities incident to lying in women. London 1792. 8.

(2) John Hull: An Essay on Phlegmatia alba dolens including an Account of the symptoms, cause and cure of Peritonitis puerperalis et coniunctiva. Manchest. 1800.

pelvi partibusque genitatibus internis intime cohaereat, unum veluti systema constituitur, cui vasorum et nervorum maximorum copiam inesse constat. Quodsi localis exoriatur harum partium inflammatio, atque, ut aliis in casibus, cerebri systema invadat, nunc inferiorem illam pelvis regionem una cum tela cellulosa continuante aggrediatur, hinc inde morbus noster evadit. Nulla enim alia inflammatio tantam totius cruris ambitus tensionem aequalem elasticitatemque, nulla ruboris defectum tam eximium in cute externa prae se gerit. Accedit, quod tumor in iis praecique locis apparet, ubi telae cellulosae copia accumulatur maior; tum quod ibidem suppuratio talis, qualis in omnibus telae cellulosae inflammationibus cernitur; deinde quod sectiones a Casper, Dunkan, Hankel, et Gendrin institutae telam cellulosam affectam ostenderunt.« Casper huic opinioni pronus esse videtur: nam: »omnibus, inquit, rite perpensis, morbus noster in inflammatione systematis absorbentium, in nonnullis casibus fortasse simul etiam telae cellulosae firmatus mihi videtur.“

Quibus iudiciis potioribus, quae a Dr. Bohm diligentissime compositae et omnibus ex partibus exploratae sunt, prolatis ad eam sententiam, cui cum pluribus medicis recentioribus egomet ipse assentior, progredi liceat. Mea ex opinione sedes atque essentia phlegmasiae albae dolentis in inflammatione vasorum lymphaticorum consistit. Primum inflammationem esse, quod omnes fere concedunt, probant symptomata, dolor, sensibilitas nimia, ca-

lor adductus praeter naturam, tumor, partis affectae functio laesa, semper adsunt; etsi signum inflammationis unum, rubor deest, tamen non est, quod contrarium indicet, quia pariter in inflammationibus aliorum organorum rubor plerumque desideratur. Porro exitus morbi naturam inflammatoriam extra omnem dubitationem ponunt. Induratio, suppuratio, gangraena, quarum una morbus ex consuetudine finitur, inflammationem sequi possunt. Denique curandi methodus, antiphlogistica curatio, cum successu adhibita est, unde concludendum, esse morbum inflammatorium. Decursus et omnia symptomata probant, inflammatorium morbi statum in systemate vasorum lymphaticorum consistere et eundem a plexu lumbari huius systematis originem ducere, nam dolores et tumor decursum vasorum lymphaticorum in hac parte sequuntur. Dolores in iis praesertim partibus affectae extremitatis vehementius persentiuntur, in quibus maior copia vasorum lymphaticorum est, atque his accumulatis glandulae lymphaticae formantur, quare distinctiores et vehementiores percipiuntur in regione lumbari atque inguinali et in poplite. Quamvis glandulae lymphaticae non apprime praeditae nervis sint, tamen fieri potest, ut inflammatae doleant; experientia enim docet, inflammationem eorum organorum, quae fere nervis caret, ut ossa, tendines, magis dolorificam esse, quam earum partium, quae nervis copiosae sunt. Firmissimum autem et potentissimum huius sententiae argumentum dant dissectiones mortuorum.

Optime ipsa Illustrissimi Casperi verba docent(1)" Crurum cute tunc perscissa, tela mucosa visa est paullo laxior, ubique liquido subfusco, odore carente, impleta; glandulae inguinales sanguine abundantiores et tumidiores reperiebantur; musculi flaccidissimi erant et in crure et in aliis partibus. Percaute reteximus vasa magna sanguifera, omnino vero sana visa sunt et in externa et in interna superficie. Eodem modo nervi crurales, ischiadici etc. denudati sunt; ne mimimum quidem extra morem erant, nec tumidi nec rubefacti. Memorabile tamen est, conditionem telae cellulosae non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim visam csse.

(1)Coufer primam morbi historiam ab Ill. Casper relatam, pag. 54.

LIBRI, QUIBUS IN ELABORANDA DISSERTATIONE USUS SUM.

I. L. Casper. Commentarius de phlegmasia alb. dol. Halae 1817. 8.

L. H. Struve. Commentatio de ph. a. d. Tübingae 1825. 8.

I. C. G. Iörg. Ueber das physiologische und pathologische Leben des Weibes. II. Theil. Leipzig 1831.

Mauriceau, traité des femmes grosses et celles, qui sont accouchées. 5me édition, avec fig. 4. Paris 1712. Ins Deutsche übersetzt. Strassburg 1732.

C. G. Carus. Gynaekologie. II. Theil. Leipzig 1828.

I. Graetzer. Diss. de phleg, alb. dol. Wratislaviae 1832. 4. c. tabula insculpta lapidi.

Iohn Burns. Handbuch der Geburtshülfe. Bonn 1834.

H. G. Grimm. Quaedam de phl. alb. dol. pathologia. Diss. inaug. Berol. 1826.

Blasius. Chirurgisches Handwörterbuch. IV. Theil.

A. B. E. Bohm. Diss. d. phl. alb. dol. pathologia. Berolini 1833.

G. Sellheim. Diss. inaug. de phl. alb. dol. Dorpati 1826.

Reuter. Diss. inaug. de phl. alb. dol. Berol. 1826.

H. Freyberg. Diss. inaug. sistens. Annotationes quasdam in phleg. alb. sic dictam dolentem. Halis Saxonum 1820. 8.

Puzos, Davis, Levret in der Sammlung auserlesener Abhandlungen znm Gebrauche pract. Aerzte. I. Bd. I. Stück. Leipzig 1785.

Graetzer. Ueber einige wichtige Krankheiten der Weiber: in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. 28ster Band. III. Heft. S. 387.

VITA.

Ego Guilelmus Lebrechtus Dames die XXXVIII. mensis Februarii anni MDCCCXVI. Francofurti ad Viadrum natus sum patre Guilelmo Friderico et matre Eleonora e gente Benecke, quibus parentibus optimis adhuc vivis et integris summopere laetor. Confessioni evangelicae addictus prima litterarum elementa in schola patriae civitatis urbana didici; deinde Gymnasium eiusdem urbis, quod nominatur Fridericianum et quod etiamnunc Directore Poppo floret, adii. Inde anno MDCCCXXIX ad gymnasium Züllichaviense, quod tunc directoris Steinbach beati auspiciis florebat, me contuli, ubi per octo annos studia humaniora tractavi. Anno MDCCCXXXVII mense Maio maturitatis testimonio instructus civibus academiae regiae medico-chirurgicae militaris sum adscriptus, sed

quatuor semestribus praeterlapsis ab Ill. J. Mueller, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos huius almae litterarum universitatis receptus et ab Ill. Schultz, t. t. decano maxime spectabili, in medicae facultatis album relatus sum.

Hosce per hoc studiorum quadriennium viros Ill. et Cel. de re medica et chirurgica disserentes audivi:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica; Cel. Wolff de hodegetice, logice; Ill. Link de botanice, historia naturali; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, de anatomia organorum sensuum. De anatomia universa, de physiologia Ill. Müller, qui et una cum Ill. Schlemm artem rite secandi cadavera me docuerunt. Praeterea has frequentavi scholas: Cel. Eck de physiologia et therapia generali; Ill. Osann de materia medica; Ill. Casper de pathologia et therapia speciali et de arte formulas medicas concinnandi; Cel. Romberg de morbis nervorum; Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Kluge de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia theoretica et practica, idemque me fascias imponere edocuit, neque minus una cum Cel. Froriep ad akiurgiam et theoreticam et practicam me instituit.

Exercitationibus clinicis et chirurgicis et medicis neque minus ophthalmiatricis, obstetriciis et de morbis syphiliticis interfui horum virorum Ill. et Cel. Wolff, Barez, Kluge, Juengken.

Ex mense Aprili huius anni duce viro Exp. Dr. Bieske chirurgi militaris fungor officiis.

Quibus viris omnibus, summopere venerandis optimeque de me meritis, gratias ago semperque agam, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Strabismus muscularis operatione non semper curari potest.
2. Medicamina sic dicta domestica haud reiicienda.
3. Sedes doloris non semper sedes morbi.
4. Animus in morbos magnam habet potestatem.
5. Phlegmasia alba dolens est morbus feminis proprius nec viros unquam aggreditur.
6. Matris imaginatio ad foetus conformationem influit.